





1718, 18

22

PROGRAMMA
IO. PHIL. SLEVOGTII, D.
in Academia Ienensi Antecessoris, Fa-
cultatis Iuridicae Ordinarii, & hoc tempore
DECANI

Lectioi auspicali

CAROLI HENRICI HOERMANNI
Herfordienfis Gueſtphali

Summorum in utroque iure honorum
Candidati clarissimi

praemiſſum

IENAE, M DCC XVIII

LITTERIS MULLERIANIS.

de libe. cont. p. 18.



PROGRAMMA
IO. PHIL. SLEVOGTHI, D.
in Academia Ienensi Antecessoris Pa-
trientis Iudicis Ordinarii, et hoc tempore
DECANI

Lectionis officialis
CAROLI HENRICI HOBEMANNI
Hortordicis Gesspiti
Strenuissimi in vrbis iure honorum
Candidati clarissimi

praesentibus
IENAE, M DCC XXIII

LITTERIS MALFERIANIS.





TENDIT ad maiora, & peracto academicorum
studiorum cursu, grauiora fori meditata-
spectat,

**CAROLVS HENRICVS
HOERMANNVS**

summorum in ciuili & canonico iure honorum

Candidatus clarissimus:

hoc frequentissimo ad salutarem iurisprudentiae
vsum, & ad publica munia ac dignitates itinere, sibi
simul ac familiae, iam tum non parum ornatae, ex-
se quoque ornamenta & splendorem additurus.
Dignum vero elegit argumentum, in quo, post pri-
uata profectuum documenta, etiam publicum, iussu
atque auctoritate Ordinis nostri, & vobis, **PATRES
ACADEMIAE**, frequenti conuentu approbaturis,
ederet. Suppeditauit illud lex singularis Codicis De
litis contestatione: in qua consulti **Seuerus & Anto-**

A 2

nius

ninus imperatores a Valente quodam, per quidam res in iudicium deducatur, consulti rescribunt. Quae siue rat, ut res docet, Valens, utrum per simplicem postulationem, an per editionem actionis deduceretur. Respondent illi, id non *videri*: non quasi dubitarent ipsi, sed usitato etiam apud Graecos loquendi more. Simplex autem postulatio est, quando id vnum adhuc egit, qui alterum conuenturus est, ut desiderium suum apud iudicem exposuerit, libellum offerendo. Sed vix initium haec erat iudicii; nedum ut sufficere potuerit ad illud constituendum. Plus dubitationis erat, edita iam reo actione. Ut enim sciret reus, cedere an contendere deberet, aequissimum erat, siue, ut Ulpianus ait, lege prima De edendo, *videbatur*, edi actionem: ex qua eius *speciem*, qualis actio institueretur, reus cognoscebat. Verum id licet non extra ius fieret, misso ad reum libello; sed in iure, coram praetore: fiebat tamen ante iudicium, nondum coepto illo. Tamque ex eo, quod reus speciem actionis iam nouisset, quam ex sola postulatione, minime percipiebat iudex, quid sui officii foret. Sed quasi genuinam reddituri Imperatores rationem, subiiciunt: *Inter litem enim contestatam & editam actionem permultum interest.* Quis non videat, innumera esse alia, inter quae & editionem actionis nimium quantum intersit: ergone, ob discrimen hoc, nequeat per editionem res in iudicium deduci? Scilicet familiaris est Romanis & imperatoribus & iureconsultis *βραχυλογία*: illudque dicta constitutio, vult, non editione

editione actionis, sed demum lite contestata, rem
 censerit in iudicium deductam. Quod ut intelligere-
 tur, sufficere putabant, solum discrimen viriusque in-
 dicasse. Aiunt porro: *Lis enim tunc contestata vide-*
tur, quum iudex per narrationem negotii causam au-
dire coeperit. Est ergo litis contestatio actus, qui co-
 ram iudice fiebat, nempe praeside aut praetore, pro
 tribunali ad hoc sedente, ut *causam audiret*, siue
 cognosceret. Cuius cognitionis initium ex *narratione*
negotii. Narrat vero actor, quid sibi dari aut fieri
 velit, quare de causa: quod iam fecerat in libello.
 Sed inde parum lucis ad decernendum iudici. Nar-
 ratio itaque rei conuenti itidem requiritur, & talis
 quidem, ut inde appareat, de quo controuersentur
 partes. Ceterum ista legis nostrae verba si quis ne-
 get, definitionis tueri posse nomen; sciat, neque id
 voluisse Imperatores; & satis cognoscebatur discrimen
 inter editam actionem & contestatam litem,
 quidquid ad huius naturam accurate definiendam de-
 esset. Fuere tamen, quibus placuit exemplum. His-
 que litis contestatio est, *ipsius controuersiae*, siue rei,
 de qua controuersia est, *narratio, apud iudicem facta.*
 Cuiacius in Observationum libris, & alibi, addit, *ex*
utraque parte: quod rem reddit clariorem. Dum
 vero adiecit, *testibus praesentibus*; respicit ad ius an-
 tiquum: quod iam eo tempore, quo Seuerus & An-
 toninus vixerunt, videtur fuisse antiquatum. A qui-
 bus testibus nomen litis contestatisuis vulgo deriuat-
 ur: recte tamen hodie etiam vsurpamus, quoniam

& actor & reus testantur, contestantur, declarant mentem suam, quid alter velit & petat, cur etiam petat; quidque alter dare se aut facere, neget debere. Poteramus plura in hanc rem disserere; & parata erat labori materia: sed nimis nota sunt, quae afferre huc animum prohibent tranquillioem. Quare ad Candidatum nostrum reuertamur: cuius praeceptivae partes erunt, plenius de istis commentari. Natales is *Herfordiae* debet, non ignobili in Guesphalis Imperii civitati, olim Hanseatico federi innexae. In qua editus anno superioris saeculi tertio & nonagesimo, patre viro nobilissimo, *Conrado Hoermanno*, iurium Licentiato, & consulatu ibidem per sex admodum lustra in hunc diem ita fungente, ut honesti iustique cura, parique prudentia, & plurimis in plurimos meritis, quantam sibi auctoritatem, tantum omnium amorem conciliarit. Mater, decus quondam matronarum, *Catharina Elisabetha*, Nedershofii generis, iamdiu ad superos excessit, vix quadriennem nostrum relinquens. Solius ergo patris ab illo tempore prouisu, & tum priuata, tum publica magistrorum opera, in quibus clarissimum virum, *Thomam Mullerum*, nominatim noster praedicat, veram ad doctrinam de Dei cultu, a Martino Luthero instauratam, & pariter ad bonas artes, bonosque mores fuit perductus. Quumque explorati, in sollemni confesso, eius in litteris progressus, sufficere academicis studiis censerentur, nostrum Lyceum, quinque abhinc annis, faustis omnibus adibat,

bat, duces sequutus viros nobilissimos, & vel professorio apud nos, vel aliis muneribus, vel minimum doctrinae dignitate excellentes, insignesve, *Scbroeterum*, *Hertelium*, *Beckium*, *Hartmannum*. In horum sibi scholis, partes iuris omnes, aliis nimirum aliam, illustrantibus, quibusdam etiam viam monstrantibus ad forensium usum, quotidiana quaesivit eruditionis incrementa. Quae adeo etiam, redux ad patrem optimum, huic probavit, ut illis perficiendis porro in Lipsiense Athenaeum mitteretur, *Menckeniano* ductu, iuridicae, ut vulgo appellamus, Facultatis praesidis magnifici, & *Schacheriano*, & *Rechenbergiano*, umbraticos labores finiturus felicius. Quo facto, ut in forum non solius scientiae, sed quadam & dignitatis etiam luce spectabilis, progrediretur, ad veterem hanc remeavit studiorum sedem, ambiturus decenter, quibus illa decorari solent praemiis ac praerogatiuis. Professus hinc nomen in Candidatis iurium, admissusque, & priuatim, ut diximus, probatus, crastini, quod Deus fortunet, consueta hora, sisset se publica in cathedra; inque profectuum suorum specimen, ad laudatam Codicis Iustiniani constitutionem de contestatione litis, quantum receptus mos, & temporis ratio permittunt, faciet verborum. Accedatis ergo haud grauatim, Prorektor Academiae magnifice, Proceres omnium Ordinum excellentissimi, quive alias soletis animos iuuentutis fauore accendere; tuque vel ante omnes,
litte-

litteraria pubes: honoraturi nostrum non vulgarter
 praesentia vestra, & me aequae cum illo obstricturi,
 vt vicissim omnia vel reuerentiae & obsequii, vel
 officiorum documenta grati rependamus. P. P. *in*
 Academia Ienensi die xxii Maii m dcc lxxiii.

[The following text is extremely faint and largely illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page. It appears to be a Latin or German text, possibly a continuation of the address or a separate document.]



X 2403645





1718, 18 22

PROGRAMMA
IO. PHIL. SLEVOGTII, D.
in Academia Ienensi Antecessoris, Facultatis Iuridicae Ordinarii, & hoc tempore
DECANI

Lectioⁿi auspicali

CAROLI HENRICI HOERMANNI
Herfordiensis Guestphali

Summorum in utroque iure honorum
Candidati clarissimi

praemissum

IENAE, M DCC XVIII.

LITTERIS MULLERIANIS.

de tite confusio

